

gato est præfectus. Cessantibus inde reliquis, ille navium & armorum apparatus omnino irritus fuit; induciarum namque tempore exacto, Babylonius Rex, qui quam segniter omnia in Europa fierent, non ignorabat, missum cum ingenti exercitu filio, Ptolemaidem subito obsidione cingit, cinctam gravi aggreditur oppugnatione: aliquandiu Venetorum opera Pontificioque præsidio defensa civitas. Inde cessantibus ex Europa auxiliis, quibus mare patuit ad effugium, paulatim dilapsi: urbs demum cum paucis capta, primo direpta est, inde a fundamentis eversa. Atque in hunc modum Christianum nomen est ex Syria sublatum nonagesimo supra duodecies centenum salutis anno, ex quo vero Urbani secundi auspiciis expeditione illa celeberrima Hierosolyma cum parte Syriæ recepta est, anno supra centesimum sexto ac nonagesimo. Dandulus, cuius Principatus in hæc parum secunda tempora incidit, anno fere decimo, quo Rempublicam administrare cœperat, circumacto, humanis decepsit: ad Gemellorum fenum ejus funus frequenti populo est elatum. Ubi post exequiarum pompam ingens tumultus repente ortus dicitur, ac cum trepidatione undique eo concursum: voces amarissimæ & invidiæ plenæ in Patricios jaqtatæ: nominatim Jacobum Tepulum Ducem populus postulabat. Quam vulgi temeritatem vir optimus, & publicæ quietis amicus, vehementer averfatus, clandestine urbe egressus, Marochium se contulit: ubi dissimulata persona tam diu latuit, donec sedato tumultu, Petrus Gradonicus ex Patricii ordinis sententia Dux fuisset declaratus.

1289

Petrus Gra-  
donicus  
Dux decla-  
ratur,

*Rerum Venetarum ab Urbe condita,  
Primæ Decadis.*

Finis.

Q

IN